



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Quo modo præcedenti tentationi ex sententia S. Augustini, & Ludouici
Blosij, sit resistendum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

700. Cap. LXIII. Cur alij bonū, alij malum vitæ finem consequantur?
 vir bonus & discretus, & non solum in Physicâ, sed etiam in Theologia,
 non mediocriter literatus: cui Princeps dicit; Vt vides, infirmus sum
 valde, adhibe curam, ut possim conualescere. Memor medicus illius
 erroris, respondit: Domine, si venit dies mortis vestre, non vos poterit
 cura mea morti subtrahere; si verò moriturus non estis de infirmitate
 ista, superflua erit medicina mea. Et ille: Quomodo sic respondes? si
 mihi non fuerit adhibita cura diligentia, & diem proposita, poterò tam
 à me ipso, quam ab alijs imperitis negligi, & ante tempus mori. Au-
 dito hoc verbo, Physicus multum hilaris effectus, dat à occasione re-
 spondit: Domine, si creditis vitam vestram posse protelari virtute me-
 dicina, quare hoc credere renuitis de penitentia, & operibus iustitia,
 quæ sunt antidota anima? sine his anima moritur, sine his ad sanita-
 tem, quæ est in futura vita, nemo pervenit. Considerat Landgravius
 pondus verborum, & quòd rationabiliter perorasset, dixit eis; De cætero
 medicus esto anima mea, quia per tuam linguam medicinalem DEVS
 liberavit me à maximo errore. Fallax est, & sophisticum argu-
 mentum, quod multos per jocandi speciem, trahit ad cogita-
 tionem desperationis. Desperationem ostendit vitiosa colle-
 ctio: Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum celo-
 rum auferre; si præscitus, nulla bona opera illud valebunt mihi con-
 ferre. Quid ais, miser? Si bona perseveranter feceris, non eris
 præscitus; si mala & peccata usque ad finem vitæ tuæ continuâ-
 ris, non eris prædestinatus. Mala ergo fuge, ne sis præscitus;
 bona operare, ut sperare possis, te esse prædestinatum. Tu fac
 tuum officium, cætera Deo relinque; qui te non damnabit sine
 tua culpa, nec salvabit sine sua gratia. Sic habes, ut iustitiam
 illius formides, & misericordiam implores; de culpa trepidus,
 de gratia non superbus. Quod ipsum libet verbis doctissimi &
 sanctissimi Augustini confirmare.

X.
 S Augustin.
 cap. 99. En-
 chiridij.

Miseretur, ait, magna bonitate (DEVS) obdurat nulla iniqui-
 tate, ut nec liberatus de suis meritis gloriatur, nec damnatus nisi de
 suis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos discernit à per-
 ditis, quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta
 causa communis. Hoc autem, qui eo modo audit, ut dicat, quid ad-
 huc conqueritur? nam voluntati eius, quis resistit? tamquam propter
 ea malum non videatur esse culpandum, quia DEVS, cuius vult, mise-
 retur,

retur, & quem vult, obdūrat: absit, ut pudeat nos hoc respondere, quod respondisse vidimus Apostolum: O homo, tu quis es, qui respondeas DEO? Numquid dicit sumentim ei, qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Hoc enim loco quidam stulti putant, Apostolum in responsione defecisse, & inopiā reddenda rationis reperisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus, quod dictum est: O homo, tu quis es? Et in talibus questionibus ad suā capacitatis considerationem reuocat hominem, verbo quidem breui, sed re ipsa magna est redditio rationis. Si enim non capit hac, quis est, qui respondeat DEO? Si autem capit, magis non inueniet, quid respondeat. Vider enim, si capit, vniuersum genus humanum tam iusto iudicio diuino in apostatica radice damnatum, ut, etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare iustitiam: & qui liberantur, sic oportuisse liberari: ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione iustissima derelictis ostenderetur, quid meruisset vniuersa conuersio, & quod etiam istos debitum iudicium DEI duresceret, nisi eius in debita misericordia subueniret: ut volentium de suis meritis gloriam omne os obseruatur: & qui gloriatur, in Domino gloriatur. Hac sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. His omnibus bene expensis, facile omnes bene patientes erunt, ut annuntient: Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Quamobrem coronidis loco, ad hanc disputationem, libet apponere, quæ Ludouicus Blosius, vir doctissimus & religiosissimus, contra hanc satanæ tentationem, in hæc verba scripsit. Si diffidentiam suadet, veniat sibi in mentem abyssus misericordiarum Dei, & singularis ipsius erga te amor ac pietas: si inepta aliqua insurrauerit de predestinatione, aut de alijs sanctæ Trinitatis consilijs, atq; iudicijs, quæ à nobis perquiri non debent: tu spretis & consputis canis impuri latratibus, conuerte te ad Deum, & eius dispersioni ac pietati omnia committe; prorsus persuasum habens, illum tuæ salutis esse desiderantissimum. In laqueum periculosum se inyciunt, qui ipsa Dei iudicia temerè perscrutari audent.

Certum est, ea, quæ facit, quæ ordinat, quæ permittit Dominus, esse iusta: hoc tu crede, hic siste, nihil ulterius perquirens.

Plal. 93, 14.
Ludouic. Blosius in Paradiso anim. fidel. cap. 6. §. 3.

